

blicis semper liberrime usu venerit, et non pauca publico politica ac Juridica acta in Lingua Nationali, salvo attamen praecitato municipali Statuto, etiam hactenus concinnata exstiterint, hacve modalitate Culturam Linguae Nationalis adeo laeta incrementa jam caepisse, ut merito dici debeat jam nunc illud momentum advenisse, ut Lingua Nationalis Regnorum horum ad vitam publicam deducatur. Quare SS. et OO. Regnorum horum Desiderio, quod Cunctorum Regnicolarum animos jam nunc occupat, conformiter necessitatem Linguae Nationalis, quae unum ex principalibus nationalibus characteribus ac praecipuum promovendae nationalitatis, summi quippe pro singula natione Thaesauri vehiculum constituit, ad illum situm quod ei spectata ejus dignitate merito competit et apud omnes cultiores Europae populos assertum est, evehendae eo quoque ex obtutu, quod cultura cujusvis nationis non nisi ope maternae linguae optimo cum effectu promoveri valeat et quod progressus in socio Regno Hungariae potissimum Elevationi linguae hungaricae ad characterem Diplomaticum in acceptis referendus veniat, comuni suo sensu quoque statuerunt, ut Lingua Nationalis intra ambitum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae ad gradum Diplomaticae elevetur. Salva de caetero usque superventuram altissimam Ratihabitionem Statuti de Anno 1805 huicve superstructa Articuli 2, 1844 circa officiosas cum Jurisdictionibus Regni Hungariae latine fovendas corespondentias provisione.

In quorum nexu SS. et OO. praevium Statutum pro altissima Ratihabitione Suae Majestati Sacratissimae substernendum determinarunt, una autem, quocertius desideratus obtineri possit Effectus, Excellentissimum Dominum Episcopum Zagrabiensem ac officii Banalis Locumtenentem Regium aliosve Regnorum horum Dignitarios, quo vices suas eatenus penes Suam Majestatem Sacratissimam interponere dignarentur, interpellarunt SS. et OO.

Articulus Undecimus.

De objecto promovendae Linguae et Litteraturae Nationalis.

Dum SS. et OO. Regnorum gratissimo venerantur animi sensu illam altissimam Suae Majestatis Sacratissimae Ordinationem, qua mediante Cathedram Linguae et Litteraturae Nationalis penes hujatem Regiam Accademiā systematisare clementer dignabatur, una altefatae Suae Majestati Sacratissimae denuo supplices fiunt, ut in quantum Statuum et Ordinum illi homagiali petito, quatenus ejusmodi Linguae ac Litteraturae Nationalis Cathedrae in cunctis Regnorum horum Gymnasiis introducerentur. hactenus minus delatum esset, motivo provehendae Nationalis Consistentiae Sua Majestas Sacratissima altissima sua gratia eatenus subvenire dignetur.

Articulus Duodeimus.

De Comissione Regia pro investigando tragico Casu, qui occasione Restorationis Magistratus Comitatus Zagrabiensis 29. Julii 1845 asservatae evenit, denuo expetita.

Ex quo Sua Majestas Sacratissima in merito expetitae in tragicum Casum, qui occasione Restorationis Magistratualis Comitatus Zagrabiensis die 29. Julii